



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Figura iij. Agni Paschalis, Exod. xij. lxxxix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

promissa sunt. Hac est enim vera fides, non attendere ea que videntur, etiamsi omnino sint aduersa promissioni: sed solam promittentis potentiam.

## FIGURA III.

Christus verus agnus paschalis, pro nobis immolatus. *Exodi 12.*

Tollat vnusquisque Agnum per familias & domos suas. Erit autem Agnus absque macula. Et summent de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Erit autem sanguis vobis in signum, & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.

## FIGURÆ EXPLICATIO.

**H**anc historiam typum seu imaginem esse D. N. Iesu Christi, Apostolus Paulus docet: Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Et S. Petrus dicit: Non corruptilibus auro vel argento redempti estis: sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati. Neque dubium est, quin Ioannes Bapt. respexerit ad hanc historiam, dum Christum venientem ad se videns, ait: Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. Est enim Christus Dei Agnus, in narrabili Dei consilio constitutus & nobis donatus, ut fieret victima, in quam Deus effunderet iram suam, qua ardebat aduersus peccatum. Nam Paschalis ille, sicut & alij agni à sacerdotibus in sacrificiũ adhibiti & mactati non senserunt, nec placauerunt iram Dei: sed tantum typi fuerunt huius verae Victime, que sola auferret peccata mundi: cuius pretioso sanguine redempti & liberati sumus, & salui facti ab ira Dei. Hic est Agnus

CAPVT  
LXXXIX.  
1. Cor. 5.  
1. Pet. 1.

Ioan. 1.



quem Ioannes Apostolus in Apocalypsi scribit occi- Rom. 5.  
 tum ab origine mundi. Non quod tum manifestè occide- Apoc. 13.  
 retur: sed quod occisio Christi semel in plenitudine tem-  
 poris facta, sparsa est antrosum vsq. ad ipsum Adam:  
 & retrorsum spargetur vsq. ad consummationē seculi.  
 De sanguine Christi Agni immaculati, præclara D.  
 Ambrosij Sententia.

Sicut vnus est Deus: ita & vnus Mediator Dei & CAPVT  
 hominum, homo Christus Iesus. Ipse est solus qui re- XC.  
 dimittit hominem, vincens pietate germanos: quia pro alie- Ambrosi. in  
 nis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro Psal. 48.  
 fratre. Itaque proprio corpori non pepercit, vt nos redi- 1. Tim. 2.  
 meret a peccato: & dedit semetipsum redemptionem pro  
 omnibus. Sed quare hic solus redimit? Quia nemo potest  
 tam equare pietate, vt pro seruulis suis animam suam  
 ponat: nemo integritate. Omnes enim sub peccato: omnes  
 Ad illius subiacent prolapsioni. Solus redemptor eligitur,  
 qui peccato veteri obnoxius esse non possit. Ergo  
 Dominus Iesus suscepit hominis conditionem, vt in car-  
 ne sua peccatum omnium crucifigeret, & chirographum  
 vniuersorum suo cruore deleteret. Itaque propitiatio om-  
 nium Christus est: & ipse est vniuersorum redemptio.  
 Quæ maior hostia? Quod præstantius sacrificium? Qui  
 melior Aduocatus, quam qui pro peccatis omnium fa-  
 ctus est Deprecatio: & animam suam dedit pro nobis re-  
 demptionem: qui solus Deo mundum reconcilianit per  
 suum sanguinem? Non queritur ergo propitiatio aut  
 redemptio singulorum: quia OMNIUM PRETIUM SAN-  
 GVIS EST CHRISTI, quo nos redemit Dominus  
 Iesus: qui solus Patrem reconcilianit, & laborauit vsq.  
 ad finem, quia nostrum laborem ipse suscepit, dicens: Ve-  
 nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego  
 accipiamus a vobis. Vide laborantē. Laboranti, inquit, clamans,  
 Math. 11.  
 Psal. 68.

T 4 rancor